



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt**

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali  
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

**Strunck, Michael**

**Neuhusii, 1715**

B. Godeschalcus de Volmundstein ex nobili Westphalo Religiosus  
Cisterciensis Heisterbaci

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28481**

scopo Moguntino allaboratum fuit, zelo gloria San-  
ctorum hujus Ordinis & patriæ gentis nostræ tan-  
dem ex integro procuretur !

Bollandus to. 1. ad diem 13 Januarii pagina  
834 & sequentibus fusissimè ex veteribus ma-  
nuscriptis Ecclesiæ Capenbergensis. Joannes Gamansius in notis & commentario præ-  
vio ad hanc vitam ibidem. Joannes Le pai-  
ge in bibliotheca ordinis Præmonstrat. l. 2.  
pag. 440 & sequentibus. Mosander, Ha-  
ræus, fasti Mariani ad eandem diem.

*Pag. 108 natum 1121. corrige 1122, & in ver-  
supro Norbert Vs lege Norlbert Vs, sic e-  
nim habet carmen vetus apud Bolland.*

## B. GODESCHALCUS

Ex nobili Westphalo Religiosus Cisterci-  
ensis Heisterbaci.

*Refertur cum titulo Beati à Gelenio de Colon.  
Agrippin. magnitud. pag. 163 in margine. Ga-  
briele Bucelino in Menolog. Benedicte. Chrisost.  
Henriq. in Menolog. Cisterc. ad diem 7 Martii.  
Agunt de eodem P. Theodor. Rhay in anim. illustr.  
ad eandem diem, & Cesar. Heisterbac. l. 9. hist.  
memorab. c. 2. & 67.*

Gode-

**G**Odeschalcus ex pervetusto stemmate  
 Dynastarum de Volmundstein in West-  
 phalia & Comitatu Marcano genitus, cum  
 aliquamdiu in Metropolitana Colonienſi Ca-  
 nonicum egisset, vitæ sanctioris studio ad ha-  
 bitum Cisterciensem transiit Heisterbaci :  
 ubi neglectis opulenti sacerdotii censibus  
 maluit in voluntaria paupertate piè occultus  
 esse, quàm inter illecebras sæculi super alta  
 dignitatum subsellia spectabilis considere.  
 Genuinum ordinis tam sacri filium ut se pro-  
 baret, statim ab ingressu primo nihil altius  
 profundiusq; cordi suo impressum voluit,  
 quàm ut sese ad instituta S. Patris Bernardi  
 componeret, & virtutibus ab illius spiritu ac  
 virtute ductis mentem exornaret. Inde in  
 eo nata est perfecta honorù despicientia, re-  
 gularum observantia maxima, humilitas pro-  
 funda, modestia summa, patientia admiran-  
 da : nec poterat illi tam grave aut abjectum  
 aliquid in vita se objicere, quod non amba-  
 bus, ut ajunt, manibus pro Deo & illius glo-  
 ria promptissimè amplecteretur. Unicus illi  
 in terris amor erat, qui ut amores nostros ob-  
 tineret, suummet sanguinem pro nobis in  
 pignus amoris obtulit, Christus Jesus. Hunc  
 quoties velatum speciebus Eucharisticis im-  
 mole-

molabat ad altare, ad eò cor & pectus in flammis ibant, ut internis ardoribus perferendis par esse non potuisset, nisi eos continuo oculorum imbre velut affuso flumine temperasset. Unde & hoc beneficii singularis loco à Christo consecutus est, ut sub extrema vitæ decurrentis tempora ejus oculis se videndū, & manibus suavissimè amplexandum dederit. Rem, ut gesta est, paucis degustare lubet ex authore Synchro B. Cæsario Heisterbacensi. Die, qui Christo nascenti sacer est, faciebat ad aram multîs, ut solebat, perplutus lacrymîs; sensumq; devotionis singularem in eo excitabant ista introitûs sacri verba: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis &c.* Inde totus in cœlestes amores abiens, jam animo prævolabat ad Divinum puerum, qui se brevî sublaris aliquantis per accidentiū involueris ejus manui infusus erat. Consecratione facta inter digitos Jesum videt, infantem illum admirabilem & *speciosum formâ præ filiis hominum.* O quantæ hîc deliciæ! quæ dulcedo inter liquidissima gaudia exuberantis animi! Amat, adorat, suspicit, demiratur; tandèmq; cum sancto sene Simeone eum in ulnas suas accipiens, frontem frontis, labia labellis jungit, premit, delibat, amplectens,

ctens, deosculans, & lacrymâs ubertim profluentibus faciem pectusculumq; parvuli pene perfundens. Ne qua tamen præsentis prodigii suspicio ex nimia affectuum prolixitate afflaret circumstantes, eundem post moram aliquam iterum sacrificali imposuit linteo, iterumq;, ut posset missa perfici, ad priorum specierum integumenta redeuntē non multo post devotissimè sumpsit. Visionem hanc, quanquam tacito suo nomine, primùm revelavit aliquot ejusdem monasterii sacerdotibus, quos inter ipse, qui hæc memoriæ ac posteritati consignavit, B. Cæsarius: postea verò planiùs apertiùsq; Henrico Abbati suo, & Winando infirmorum curatori; qui cùm ab eo in extrema ægritudine instantiùs fiscitaretur, *Bone frater Godeschalce! oro te, vidisti in missa Salvatorem? & quali formâ? quo affectu & actionum intercedentium serie?* piissima simplicitate totum prodigii rerumq; à se gestarum ordinem paucis exposuit, eodémq; adhuc die, quæ in Menologiis supra citatis est 7ma dies Martii, beatam animam in manus Creatoris sui efflavit, anno, ut [a] Gelenius indicat 1185. Inter miracula ejus numeratur quor

[a] Gelen, de Colon. Agrippin. magnit. pag. 163 in margine.

que sacrificale linteum, sive corporale, ut vocant, quod, cum ab eo post elutionem sacrae supellectilis lineae tendendo plicandóq; dilaceratum esset, non multò post sine ullius rupturæ vestigio sartum integrúmq; repertum est.

## S. HADWIGIS

### Abbatissa Herivordiensis

in Westphalia.

*Refertur cum titulo Sanctæ à Nicolao Schaten to 1. annal. Paderborn. ubi etiam testatur pag. 155 eam ab obitu inter Divas cultam, ejusq; ossa venerationi publicæ exposita fuisse usque ad annum 1531 quo Herivordia à Luthero & ejus asseclis insideri cepit. Fuit soror S. Warini Abbatis Corbeiensis in Westphalia, de quo postea, & Cobbonis Comitum, quem aliqui volunt fuisse primum Comitem Tecklenburgensem. Constat hoc ex Meibomio in notis ad l. 3. annal. Wirichindi Monachi Corbeiensis, ubi citat pro se Ertvvinum Ertmannum in Chronico Osnabrugensi his ex eo desumptis verbis: Quidam Comes ditissimus Cobbo, Germano (fratri) nomine Werin in monasterio Huxariensi Abbati, & sorori in puellarum cœnobio Herivordensi Abbatissæ &c. Unde jam*